DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS
DE CYSTITIDE ACUTA
QUAM,

ANNUENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

LUDOVICI-VINCENTII RAOUL,

PHILOS. THEORET. ET LITT. DOCT. ET IN FACULT. LITT. PROF. ORD.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDECINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA REGIA GANDAVENSI,

RITÈ AC LEGITIMÈ CONSEQUENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET

LUDOVICUS DEPELCHIN, EX WYNGENE,

DIE 16ª DECEMBRIS, MDCCCXXIV, HORÂ XI.




GANDAVI,

APUD G. DE BUSSCHER ET FILIUM, TYPOGRAPHOS,

VIA CATALONIÆ, N°. 5.

Ex decreto facultatis 2 Martii 1818, opiniones in dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ sunt, et à Facultate Medicâ nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.



VIRO PRÆSTANTISSIMO

J. J. CLAUWAERT,

AVUNCULO OPTIMO,

UT GRATITUDINIS MONUMENTUM PRO INNUMERIS BENEFICIIS

Hasce studiorum primitias
dicat vovetque

AUCTOR.

Usus et experientia dominantur in artibus,
et nulla est quæ in peccando non discatur.

ARIST.[s], *Philos.*



QUÆDAM GENERALIA

DE

VESICA ANATOMICÈ

CONSIDERATA.

Vesica, conceptaculum est musculo-membranaceum, quod continendæ urinæ inserviens, extra peritonæi saccum, infra intestina tenuia et in viris supra vesiculas seminales collocatur; porrò parti anteriori et mediæ cavi pelvis, posteriori pubis, faciei anteriori intestini recti in viris, in fæminis parieti anteriori uteri respondet.

Varias vesica offert regiones, quarum una superior, fundus vesicæ dicitur, media altera paulò latior, corpus hujus organi, tertia inferior ejus imum fundum, retrorsùm magis positum, comprehendit; tandem quartam anteriùs sitam, collum vesicæ dictam, reperimus.

Uti omnium organorum cavorum, ita et vesicæ duæ sunt superficies, externa altera, altera majoris momenti, interna sequentia observanda offert :

1°. *Villositates* numerosas, quæ huic superficiëi, uti et ventriculo et intestinis, aspectum lanuginosum largiuntur; 2°. rugas in omnem sensum directas atque pro statu contractionis vel dilatationis hujus organi plùs minùs multiplicatas; 3°. in quibusdam subjectis columnas inæqualiter per proëminentiam fibrarum tunicæ mucosæ formatas, quarumque intervallis non raró concretiones calculosæ, *calculi incarcerati*, tunc dictæ, occurrunt; 4°. tres aperturas quarum anterior collum vesicæ ita constructum constituit, ut primùm latiùs, dein angustiùs atque demùm in uretri canalem abiens, observatur; duæ reliquæ posteriores aperturas ureterum sistunt.

Tria illa foramina angulos formant superficiëi triangularis, leviter proëminentis, quam *trigonum vesicale* dicimus.

Portio hæc organica, rugis membranosis destituta, summo sensibilitatis, quod probant vividi dolores, quos experiuntur calculosi, dùm lapis hanc partem tangat, gradu prædita videtur.

Si ad structuram organicam vesicæ attendimus, quadruplici tunicâ sive membranâ formatam esse videmus, quarum extima serosa peritonæi propago est, atque hujus organi non nisi portionem posteriorem, superiorem et parumper lateralem obvestit; secundam cellulosam, undiquè vesicam circumdantem, excipit tertia quæ, naturæ muscularis motibus contractionis hoc organon constringentibus, destinatur, quæque è multiplici fibrarum undiquè sese decussantium numero, fasciculos proëminentes, co-

lumnas carnosas dictas quandòque offerentium, componitur; quarta tunica mucosa audit; hæc interiora organi hujus obvestit, cum membranâ genito-urinariâ continuatur, plurimisque componitur glandulis, in statu naturali non conspicuis, at tum sensibili modo evolutis, quùm affectione catarrhali laborat hæc membrana; porrò continuò humorem mucosum, vesicam à vividiori urinæ impressione tueuntem, secernunt.

In parte posteriori colli vesicæ, trigonum de quo suprà, in anteriori verò ad originem canalis uretralis, appendicula angusta oblonga, *verumontanum* vocata, reperitur. Collum, uti quidam anatomici asserunt, sphinctere instructum non est; in eo quamvis maximè solidum fibrarum rete observetur, pro musculo tamen distincto fasciculus ille haberi nequit, quoniam actio ejus ab actione aliarum portionum tunicæ muscularis non differat.

Inter omnes vesicam constituentes membranas, mucosæ sine dubio functiones ut plurimùm læduntur, ratione irritationis plurimis ortæ causis, inter quas, concretiones calculosæ sive è renibus descendant, sive in ipso vesicæ cavo formentur, præcipuè referri debent.

Aliarum vesicæ tunicarum plerumquè secundaria est affectio, nisi forsàn causis exterioribus accidentalibus, aut symptomaticis integritas textus earum lædatur.

DE CYSTITIDE ACUTA.

DEFINITIO ET DIVISIO.

Inter multifarios morbos, qui ut plurimùm vesicam urinariam corripiunt, imprimìs numerari meretur ejus inflammatio non solùm quòd per se periculosa sit, sed etiam quòd vario exitu varia mala producere soleat. Sub nomini generali cystitidis hodiè designatur inflammatio unius, pluriumve membranarum, vesicam urinariam constituentium.

Vesicæ autem phlegmasia varia à pathologis accepit nomina, prout membrana mucosa sola, aut omnes simul inflammatione afficerentur : priori in casu Lieutaud (1) illam *fluxionem catarrhalem* seu *catarrhum vesicæ* vocavit; Cullenus (2), *dysuriam mucosam;* Hoffman (3), *rarum vesicæ affectum* atque Sauvages (4), *pyuriam mucosam :* in posteriori Cystitis propriè dicta est.

Optima tamen nobis videtur divisio illa à nonnullis auctoribus admissa, qui hanc inflammationem, nullâ, unius pluriumve membranarum simul inflammatarum, habitâ ratione, in *acutam* et *chronicam* dispescuerunt.

(1) Précis de Médec. tom. 1, pag. 596.
(2) Synops. Nosolog. tom. II, pag. 355.
(3) Consult. Méd. tom. 2, pag. 560.
(4) Nosolog. Meth. tom. III, pars 2, pag. 206.

Verùm enimverò quùm difficilè sit, præcipuè respectu viscerum in cavitatibus splanchnicis abditorum, rectè indicare quænam sit pars visceris inflammata et ad quod punctum inflammatio extenditur; prætereà vesicæ phlegmasia, sive membranam mucosam solam, sive omnes simul occupet semper ut inflammatio habenda est, quæ iisdem causis producitur, iisdem symptomatibus stipatur, eamdem indicationem postulat atque iisdem remediis curatur.

Per acutam illam intelligimus quæ, citissimè et causis manifestis oboriens, symptomatibus violentis atque acutissimo modo progreditur.

Per chronicam verò, quæ acutæ nonnumquàm succedit illam, quæ lentè hominem aggreditur, causas minùs evidentes agnoscit, signis æquivocis manifestatur, atque sensìm sine sensu ægro mortem affert.

MORBI DESCRIPTIO.

Ut methodicè in materiâ pertractandâ procedamus, primò seriem phænomenorum, quæ cystitidem acutam comitari solent, exponemus, quibus cognitis, facillimè quoque hujus morbi diagnosis eruetur.

Cystitidem, uti reliquas viscerum phlegmasias, præcedunt symptomata, ad morbum quidem haud strictè pertinentia, sed multis communia. Lassitudines sine causâ manifestâ, horripilationes vagæ, horror universus, animi anxietates, tremor membrorumque torpor, vesicæ inflammationem ut plurimùm prænuntiant. Hæ autem phænomena non semper occurrunt, præcipuè

quùm morbi causa localis sit, atque subitò actionem suam exerat. Sive signa prodroma adfuerint, necne, æger subitò alia patitur symptomata, quæ directè à vesicâ urinariâ procedunt, quam, summis doloribus affectam, indicant; hæc symptomata ad sequentia referri possunt : ægrotans è regione pubis et perinæi dolores lancinantes, ardentes, in alto phlegmasiæ gradu latè per abdomen divagantes, percipit : hi dolores juxta uretri tractum ad glandem usque, itidem vesicæ urinariæ cruciatûs participem, extenduntur; abdomen tenditur; regio hypogastrica admodùm sensibilis, ad attactum summoperè dolet; tumor ovatus, ab urinæ in vesicâ retentione productus, supra pubem percipitur.

Ratione functionis vesicæ urinariæ læsæ, æger frequenter et magno cum dolore lotium expellere cupit, haud facilè superanda difficultas huic expulsioni obest, atque urina si fors emittitur, guttatim cum ardore, dolore urente, et cruciatibus prodit; tenesmi ad urinam excernendam continuò redeunt, magis magisque ægrum vexant, vesicæque phlegmasiam intertinere videntur; urina emissa, primùm sæpè pallida, dein valdè rubra, inflammata, et nonnumquàm sanguinolenta, progrediente morbo, aliquandò subalbida, mucosa, opaca, atque floccos glutinosos veluti membranaceos continens, reperitur; hujus receptaculi vasa majorem sanguinis copiam accipiunt, eorum pars, tunicam internam perreptantium interdùm rumpuntur, sanguinemque stillant; deniquè vesicæ actio minuitur, perit, sicuti in omni aliâ inflammatione, musculum, organum, motibus dicatum, occupante.

Quùm symtomata admodùm sunt violenta, urinæ excretio omninò intercipitur; corporis jactatio et dolores immodici

fiunt; pulsus magis magisque durus, contractus, frequens, evadit; cutis siccior, asperior ad attactum, invenitur; tenesmi frequentiores intolerabiliores sunt; sitis augetur; sudor odorem urinosum spirat.

Ratione partium seu vicinarum seu remotarum, quæ sympathicè cum vesicâ urinariâ unà affici solent, notanda veniunt: ani tenesmus, alvi constipatio, testiculorum dolor, eorumque versus annulos inguinales dolorificæ retractiones, crebræ et non sine dolore penis erectiones, quæ præcipuè in vesicæ colli inflammatione observantur.

Stomachus modo sympathico interdùm quoque afficitur: hinc æger sub compressione dolores ad regionem epigastricam sentitur, quos nausea, vomitus atque singultus concomitantur; lingua rubore in lateribus conspicua fit; verbo, signa non æquivoca gastritidis manifestantur.

Inpectore respiratio frequens et laboriosa, angor, cordis palpitationes occurrunt: quæ omnia, si cum summâ virium animalium jacturâ, tendinum subsultu, delirio, diarrhœâ, ut aliquandò fit, conjunguntur, pessima præsagiunt atque æger ut plurimùm moritur.

Febris acuta continua hujus inflammationis semper comes, dignoscitur pulsu duro, crebro, contracto, cuti calidâ, siccâ, siti ardenti, linguâ albidâ, flavâ, siccâ vel humidâ, ciborum fastidio; præterea æger de insomniâ conqueritur, potusque refrigerantes cupit, præfert, exoptat.

Intensitas symptomatum cystitidis extra modum non raro progreditur: generaliter tamen in ratione est ætatis, sexûs,

temperamenti, subjecti idiosyncrasiæ, naturæ et modi agendi ipsius causæ, quæ phlegmasiam produxit, cujus vim atque extentionem pariter sequitur.

Symptomata quædam specialiter ad causam, quæ vesicæ inflammationi ansam præbuit, pertinentia, occurrere queunt : sic enim quùm cantharidum usu interno vel externo producta fuerit, priapismus apud virum, apud fæminam verò ardor, prurigo ad vulvam animadvertuntur.

Si cystitis à virgâ cereâ vel cathetere longiori originem trahit, dolor in ipso puncto, instrumenti extremitate læso, imprimìs percipitur, symptomata minùs sunt violenta atque nulla observatur ischuria.

MORBI EXITUS.

Vesicæ urinariæ phlegmasia terminatur, tamquàm reliquæ inflammationes, in sanitatem, mortem aut alium morbum, vel denique ex acuto in statum chronicum transit.

Terminatur in sanitatem, quòd ut plurimùm à secundo, tertio, quartove die, ab invasionis tempore accidere solet, simplici febris remissione, generali caloris diminutione; dolores gradatìm levantur; urinæ emissio, quæ primùm minori cum difficultate peragitur, sensìm semsìmque facilior evadit; vesicæ tenesmi non adeò urgent, minùs sunt frequentes; ejus contractiones faciliores tolerabilioresque fiunt; pulsus elevatur, tardior et mollior reperitur; uretri dolores adhùc perstant vel omninò evanuerunt; abdomen et præsertìm regio hypogastrica laxior, minùsque dolorifica est; lotium emissum plures offert varietates

quoad colorem, nunc enim subalbidum, nunc subrubrum aliàs coloris fulvi invenitur; secretio mucosa aliquandò copiosior observatur. Dùm morbus normâ procedit et sine intermissione versùs resolutionem tendit, eodem tempore omnia suprà enumerata symptomata, pedetentìm diminuuntur, febris valdè decrescit, posteà plenariè cessat, dolores vesicæ eodem modo levantur, minori cum dolore majorique facilitate æger lotium expellit et tandem urinæ excretio uti in statu sano peragitur.

Accidit tamen, notante professore Pinel, hujùs visceris inflammationem, quamvis simplicem, symptomata offerre secundaria, persæpè gravissima, muco aut sanguine in vesicâ coagulato, producta, quorum expulsio per uretri canalem non nisi magnâ cum difficultate, quidem apud fæminas, fieri potest. Cutis minùs ardens, minùs sicca, laxior, madida evadit et sudore perfunditur; muci quantitas, de die in diem copiâ decrescens, demùm omninò evanescit; urina uti in statu sano occurrit; verbo, omnes functiones naturaliter peraguntur, et morbus intra duas, tres, quatuor, imò sex hebdomadas resolutione terminatur, ac ægrotans pedetentìm in pristinum suum statum restituitur.

Hic inflammationis vesicæ urinariæ exitus omnium faustissimus, omni etiam curâ et diligentiâ expetendus est. Hæc autem terminatio satis raròobservatur, præcipuè dùm causa morbosa perstat, seu recrudescit, seu individua constitutio ad phlegmasias chronicas disponit.

Quùm cystitis immoderatè procedit, ejus causa fuerit valida, symptomatum vehementia gangrænam, maximè metuendam,

inducere potest. Periculosissimum hunc exitum existentem novimus, subitâ doloris remissione aut abolitione, frigore calori intenso succedente, pulsu parvo, debili, intermittente, cadaveroso ægrotantis adspectu, summâ virium vitalium prostratione.

Vesicæ urinariæ gangræna aut latè sese extendit et ægro certissimè mortem infert, aut parvam tantummodò partem hujus organi occupat ac aliqua sanitatis spes affulget. Primo in casu morbus tantus est, atque tàm facilè ad organa vicina urinæ effusione in textu cellulari et cavitate peritonæi, propagatur, ut mors brevì succedat : In secundo autem fistula urinaria extrinsecùs interdùm formatur; hæc tamen terminatio, etiamsi priori minùs infausta, pessimas tamen non raró habet sequelas. Suppuratio non tàm frequenter, quàm quidem crederetur occurrit : attamen cystitis acuta hunc exitum nancisci potest, quem existentem novimus signorum resolutionem indicantium absentiâ, febris remissione, doloribus, qui anteà ardentes et lancinantes, in gravativos et obtusos mutantur, horripilationibus vagis, ægri emaciatione, urinâ furfuraceâ et crassâ, quæ vel intercipitur, vel cum dysuriâ et stranguriâ emittitur, dùm aliàs pus cum urinâ mixtum unà ejicitur. Quod ultimum phænomenon, quamvis magni momenti, non certum tamen hujus receptaculi suppurationis signum est habendum. Pus enim cum urinâ eliminatum, ex abcessibus in renum substantiâ formatis et à calculo in hisce organis latente, vel aliâ quâcumque causâ productis, provenire potest. Præthereà urinas purulentas ex abcessibus, qui in pectore, abdomine, vel aliis partibus plùs minùs à vesicâ remotis, existunt, ortas, observata probant.

Plerùmque accidit ut cystitis acuta, imminutis præcipuis inflammationis phænomenis, de quibus suprà mentionem injecimus, non solùm non benigno versus resolutionem, ad quam vergere videbatur, passu procedat, sed ut perstet, suamque in tempus singulari modo varium, atque etiam per totam vitam aliquandò persistens, durationem extendat. Itaque summâ opus est animi attentione ut affectionis hujus in statum chronicum proclivitas, si possit, prævideatur. Sedulò quoque observandum utrùm naturæ conatus huic mutationi faveant, ut sine morâ ad curam, quæ tàm infaustum exitum prævenire valeat, confugiamus.

Cystitis ad statum chronicum vergere noscitur, dùm pleraque symptomata generalia, impetum inflammationis indicantia, desunt, vel adhùc perstant, sed minori gradu eoque tempore, quo tantummodò levia hujus morbi vestigia superesse deberent. Symptomata, hanc affectionem concomitantia, sequentia notantur : Dolores hujus organi, tenesmi, quos emissio dolorifica minimæ lotii quantitatis comitatur, quodque speciem coarctationis vesicæ indicat ; exasperatio symptomatum post laborem immoderatum, iter longum, excessum in diætâ, aërisque temperie frigidâ humidâque regnante ; ejectio urinæ mucosæ, purulentæ, limosæ ; aliorum cystitidis signorum perduratio inflammationem vesicæ urinariæ chronicam indicans. Hic status diù perstare potest et nisi resolutione terminetur, seriùs ociùsve in alium morbum transit. Sic mucus, à membranâ vesicæ mucosâ magnâ copiâ secretione productus, collo hujus visceris aut in canali uretrali aliquandò congeritur, lotii exitum impedit, omniaque retentionis urinæ superveniunt symptomata.

Cystitis chronica etiam contractioni vesicæ permanenti locum præbere potest : hinc *urinæ incontinentia*, quam Chopart (1) sub nomine spasmi vesicæ descripsit. Vesica etiam obdurescere valet et crassitudinem admittere talem, ut ejus cavum minuatur et steatoma referat ; aliàs in tubercula squirrhosa excrescit, quæ tandem in carcinoma abire solent.

DE CAUSIS CYSTITIDIS IN GENERE.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Cystitis raro in juventute, in infantiâ rarissimè observatur, præ aliis adultos et imprimìs senes aggreditur ; attamen à Regnault sequens summè memorabilis affertur casus infantis, qui vix secundum ætatis annum agens, post vividos urentis maximèque dolorifici abdominis cruciatus, speciem pseudo-membranæ, similem illi de quâ loquitur Morgagni, per uretrum emisit ; quâ emissione simùl et substantiæ glutinosæ eliminatione, inflammatio vesicæ, quæ solâ urinæ retentione, ad illam usquè diem indicari videbatur, clarè innotuit.

Fæminæ, quamvis, ut creditum fuerat, ab hoc morbo immunes omninò non sint, minùs tamen viris huic obnoxiæ sunt. Homines temperamenti sanguinei et lymphatici, illi qui ad hemorrhoides, affectiones calculosas, rhumaticas, arthriticas, herpeticas proclives sunt, huic magis prædisponuntur ; animi pathemata deprimentia, vita sedentaria, continua animi contentio, individuos modo peculiari cystitidi idoneos reddere videntur ; porrò mansionibus depressis humidisque, quibusdam vitæ con-

(1) Chopart, Traité des Mal. des Voies Urin. Tom. II, pag. 116.

ditionibus in quibus individui veluti nautæ, milites etc., impulsioni magis directæ aëris vicissitudinum expositi sunt, ad hanc contrahendam affectionem aptiores necessariò evadunt.

CAUSÆ EFFICIENTES.

Ut causæ inflammationem vesicæ urinariæ acutam evolventes indicanda occurrunt omnia illa quæ, actione suâ directâ aut indirectâ, proprietatum vitalium exaltationem, quâ motus sanguineus in capillaribus vasis vesicæ urinariæ augetur, determinare valent. Hùc in censum veniunt : læsiones vesicæ, contusiones regioni hypochondriacæ illatæ, equitatio immodica in ephippio duriori nec non præcipuè equitandi imperitis incommodo; usus diureticorum acrium, aphrodisiacorum, cantharidum imprimìs internè assumptarum quarumque actio specifica in totum viarum urinariarum apparatum nota est; abusus spirituosorum, gravium alcohole vinorum, alimenta salita et acria. Morbus hic uti transpirationi actione frigoris subitò suppressæ, fluxui periodico sive habituali, epistaxi, menstruis, hemorrhoidibus cohibitis succedere potest; ita quoque ulcera inveterata intempestivè sanata, suppressum vetus exutorium, metastasim arthritidis aut rhumatismi, retrocessionem exanthematis, scabiëi et præsertìm herpetis, excipere valet. Calculorum vesicalium imprimìs superficiem asperam offerentium evolutio, herniæ vesicæ, retentiones urinæ generatìm omnes, à quâcumque cæteroquin causâ ortæ, etiam vesicæ inflammationem producere possunt; attamen ibidem calculo, non semper evolvitur cystitis, vesicâ quasi huic corpori haterogeneo insensibili manente, quòd demonstrant exempla individuorum, qui per multos annos, imò per totam vitam calculo laborârunt, numquâm per dolores ejus existentiâ indicatâ.

Plurima alia corpora heterogenea in vesicam ingesta, hujus organi statum inflammatorium eruere possunt; tali modo agunt catheter, cereola, quarum per uretrum introductio seu nimis profunda seu duitiùs continuata est; frustula quandòque ab instrumento soluta; materies puriformis, ichorosa per ureteres in hoc conceptaculum descendens, dùm suppuratione renes corripiuntnr; innumeraque alia corpora extranea, quæ in operationibus ineptè institutis, sese manibus subducunt. Injectiones acriores in hoc organo sive in canali uretrali factæ, quarè in adhibendis sic dictis lithontripticis summâ opus est prudentiâ; sectio hujus visceris in cystotomiâ, in punctione hujus conceptaculi; compressio vesicæ contra pubem in partu difficili per caput infantis, illaque quam pessarium majus in vaginâ exercere potest, blennorrhagiæ intensæ sive nimis repetitæ, coïtus immoderatus, suas etiam, experientiâ duce, vices agunt, in producendâ vesicæ urinariæ phlegmasiâ, quæ etiam aliquandò pendere potest à motu critico naturæ ad solvendam phlegmasiam aut aliam febrim.

PROGNOSIS.

Prognosis cystitidis varia est pro variis ipsam inducentibus causis, intensitate symptomatum, naturâ complicationum, ætate subjecti, verbo pro omnibus, quibus in decursu necessariò submittitur, circumstantiis.

Subjectum juvenile adorta discrimen minùs portendit; dùm autem senes invadit majori stipatur periculo quia, cæteris ætatem non spectantibus, iisdem utrìnque suppositis, ad chronicitatem in homine provectiore vergere nititur; à crisi solutionem

cujusdam febris aut phlegmasiæ efficiente, orta, minori vexatur periculo, atque in fæminis minùs quàm in viris metuenda est: in illis enim, ratione structuræ anatomicæ partium, non solùm mucositates, calculosæ certi voluminis concretiones facili exitu foràs prodeunt, sed et catheter introduci, atque substantiæ medicamentosæ in vesicam injici commodè queunt.

Frequenter lethalis fit cystitis, quandò post spirituosorum aut alimentorum magnâ cantharidum quantitate immixtorum assumptionem, nascitur; quæ metastasim rheumaticam aut arthriticam arguit, plerùmque remediorum irritantium, dolores versus partes quas occupari solent revocantium actione, debellatur.

Quòd si cystitidis in causâ sit præsentia cujusdam corporis heterogenei in vesicâ nidulantis, hujus, non nisi extracto stimulo, solutionis spes est habenda: hìc palàm dicere fas est prognosim summè dubiam esse, ratione gravitatis tùm instituendæ operationis.

Denique si symptomata inflammatoria admodùm intensa, partesque vicinæ inflammationis participes fiunt; si uno eodemque tempore æger vitio quodam herpetico, psorico, cancroso, arthritide, rheumatismo, laborat, ejusque per diuturnos morbos constitutio consumpta fuerit, summum prognosticamus periculum.

FUNERUM LUSTRATIO.

Per autopsiam cadaverum cystitide enecatorum, urinæ parcæ, fætidæ, majorem minoremve muci copiam puri similem continentes, inveniuntur. Si symptomata non admodùm vehementia morbum stipârunt, sæpenumerò membrana vesicæ mucosa ma-

culis rubris, interdùm lividis, corpus, collum sed præsertìm parietem posteriorem et superiorem occupantibus, conspicua reperitur.

Quò autem intensior fuerit phlegmasia, eò latiùs membrana mucosa rubra lividaque occurret; liquidum viscosum ipsam obtegit; receptaculi urinarii cavitas parva, coangustata, ut plurimùm reperitur; nonnumquàm abscessus purulenti, gangræna, urinæ effusio in textu cellulari pelvis, peritonæi cavitate, offenduntur.

Quòd si cystitis chronica ægro mortem intulerit, vesicæ cavitas quàm in statu naturali angustior, puriformem materiem aut verum pus, parvâ urinæ turbidæ quantitate mixtum, continere solet; membranæ insolitam crassitudinem, formam lardaceam, vel magnam duritiem acquisiverunt; hinc vesicæ parietes, in statu sano lineæ unius et semi ad summum duarum linearum crassitudinem offerentes, aliquandò tam densæ atque crassæ inveniuntur ut vesicæ cavitas ferè totaliter deleatur. Præterea membrana mucosa laminis sublividis, sæpè difficilè, et nisi organo à vicinis partibus sejuncto, sub aspectum cadentibus, insignitur; aliàs hinc indè subfusca, obscurè rubra non rarò vasa sanguinea, dilatatione varicum formam referentia, offert; dùm folliculi mucosi, in statu naturali vix vel ne vix quidem percipiendi, lucidè apparent.

Calculi, fungi, aliave corpora in vesicâ nascentia, vel in hoc receptaculum introducta, quæque inflammationi ansam præbuerunt, post mortem pariter inventa sunt. Interdùm pseudomembranæ indolem albuminosam præ se ferentes, à quibusdam ægris summâ cum difficultate per uretrum eliminatæ, ejus

superficiem internam obducunt. Quùm autem inflammatio peritonæi partem, quæ vesicam spectat, præcipuè occupavit, hæc ferè semper vicinis partibus, intestino recto apud viros, apud fæminas utero, plùs minùs arctè adhæret. Vesicæ extremitas superior, parti inferiori magni epiploi ipsoque intestino jejuno fortiter adunata, atque ipsum peritonæum gangrænâ vitiatum, nonnumqàum inveniuntur.

CURA.

Cura cystitidis, iterùm ex causarum naturâ, complicationibus, vehementiâ symptomatum, individui ætate atque constitutione eruitur.

Morbus hic, si acutè progrediatur, symptomatibus violentis stipetur, quùm brevì funestus sit, magnoperè interest, præcipuè dùm subjecta juniora, robusta adoritur, ut efficacissima ipsi opponantur remedia. Itaque ad ægrum manifestæ cystitidis symptomatibus laborantem accersito primùm de urinis in vesicâ contentis est inquirendum, quæ, si lotio repleta obveniat, ad catheterismum recurritur, nisi irritatio, jàm tanta sit, ut illa, hanc operationem insequens, metuatur, quo in casu per remedia antiphlogistica cura inchoatur.

Cæterùm hic casus summam à practico postulat prudentiam. Ex unâ enim parte ne inflammatio augeatur, ex aliâ verò ne vesica nimiâ urinæ quantitate distenta rumpatur, timor est. Si verò gravissimæ hæ circumstantiæ, quæ feliciter rarò occurrunt, observantur, venæ sectio fit generalis, sanguisugæ regioni peritonæi aut hypogastricæ applicantur et catheterismus,

sanguine fluente, instituitur. Quòd si vehementia symptomatum, retentionem urinæ comitantium, immodica sit, imminentisque vesicæ ruptionis metum injiciat, statìm ad catheterismum confugere oportet.

Ubi morbus à corpore heterogeneo seu calculo in vesicâ urinariâ latente originem ducit, cystotomia hujusque corporis vel calculi extractio totam indicationem curativam sistunt. Antequàm tamen hæc operatio instituatur, intensitas symptomatum inflammatoriorum sedetur necesse est.

Si cystitis acuta individuum temperamenti sanguinei, plethorici, nuperrimè aggressa est, si regio hypogastrica nondùm tenditur, si vesica, digito in intestinum rectum introducto, lotio distensa non persentitur, certioresque sumus nullas aut paucas in hoc conceptaculo adesse urinas, prima indicatio eadem est, ac in cæteris omnibus alicujus momenti phlegmasiis. Itaque venæ sectio in brachio aut pede, largo foramine instituta, optimè apud subjectum robustum conducit : in casibus levioribus sanguinis detractio erit minor et nonnumquàm sanguisugæ, regioni hypogastricæ, perinæo, vulvæ aut ano applicatæ, sufficiunt, præsertìm dùm symptomata non tantâ vehementiâ occurrunt, vel mensium aut hæmorrhoidum suppressio morbum produxit. Internè apprimè conveniunt potus emollientes, mucilaginosi, uti decoctum hordei, seminum lini, radicum malvæ, tritici repentis, serum lactis, additione sacchari, mellis, aut alicujus syrupi edulcorata; juscula leniora ex carne vitulinâ aut gallinaceâ confecta. Horum parvâ quantitate bibat æger nam si utile sit potibus emollientibus actionem urinæ nimis

stimulantem temperare, magni quoque interest ut ejus copia imminuatur, atque gravia lotii retentionis symptomata prævertantur. Fomenta emollientia abdomini, perinæo applicata; semicupia, balnea generalia tepidè sumpta; laxantia, emollientia, aliquandò opio, ut virtus eorum sedativa augeatur, mixta et formâ clysmatis in intestinum rectum injecta, tot sunt remedia, quæ cæteris juncta, eorum actionem ad morbum debellandum mult, juvabunt.

Quùm cystitis ab usu cantharidum interno vel externo oriatur, eò promptioribus indigemus remediis, quò morbus ipse celeriùs atque sine ullâ intermissione evolvitur. Itaque omnia auxilia hoc in casu ab arte decantata, statìm in usum vocanda sunt. Quapropter si cantharides cum aliquâ substantiâ molli aut solidâ mixtæ V. G. sub electuarii vel pillularum formâ recens assumptæ fuerint, earum expulsio, sine morâ, per vomitorium tentari deberet. Omnibus verò in casibus vesicæ phlegmasiæ cantharidum usu productæ, potus refrigerantes, mucilaginosi; oxymel simplex; decoctum seminum lini; lac copiosè sumptum; clysmata emollientia; in vesicam injectiones lenientes mucilaginosæ; ægri in balneum tepidum immersio adhibenda veniunt. Summo quoque cum successu opii præparata, imprimìs syrupus diacodii, ad spasmum inflammatorium sedandum, inserviunt. Camphoræ usus, etsi præparatis opiaceis minùs sit efficax, non omittetur.

Cystitide suppressionem herpeticam, aut etiam quamcumque affectionem cutaneam, seu evacuationis alicujus cessationem insequente, semper oportet malum ad primariam suam sedem, ac fluxum suppressum, per vias solitas revocemus. Huic scopo utimur : frictionibus, balneis tepidis, decoctis sudorificis, le-

nioribus purgantibus, linimentis excitantibus, ammoniaco aut camphorâ compositis. Hæc si non successerint efficaciora aggredimur qualia sunt : cucurbitæ ventosæ, sinapismi, tartarus emeticus axungiæ junctus, cautera, moxa, vel alia quæcumque remedia revulsiva ex epispasticis sumpta, sedulò tamen vitando ex cantharidibus confecta. Eadem conducunt remedia dùm morbus ab arthritidis vel rheumatismi metastasi oritur : si à scabiei retrocessione pendet, eruptio ad cutim, morbo iterùm contracto, revocatur : si mensium, hæmorrhoïdum aut exutorii suppressionem causam agnoscit, sanguisugis vulvæ, ano appli catis, restituto exutorio, cura inehoatur. In omnibus autem casibus, nisi inflammatio nimis violenta, et subjecta robustiora sint, venæ sectio generalis rarissimè instituitur.

Quandò lotium, immisso cathetere, è vesicâ ducitur, prudenter agendum atque cavendum ne instrumentum altiùs, quâm par est, introductum, extremitate vesicæ parietes valdè sensibiles offendat, adeòque debellandam inflammationem augeat.

In lotii educti locum, suadente celeb. Desault, (1) injectio mucilaginosa, veluti decoctum seminum lini, radicum malvæ, dulciter absque vi immissa, est substituenda. Hæc injectio, per aliquas minutas in vesicâ retenta, partìm emittitur, partìm in hoc receptaculo, ut urinæ acritatem temperet, retinetur.

Catheter cujus præsentiâ dolor irritatioque exasperaretur, extrahitur; si verò necesse sit per intervalla, non admodùm remota, rursùs introducitur, et urinâ expulsâ, eodem modo et sub iisdem, quas supra notavimus, cautelis, novæ fiunt injectiones.


(1) Desault, OEuvr. Chirurg. tom. III, pag. 149.

Calculi in vesicâ existentis suspicio dato atque ope catheterismi certiores facti, ad lithotomiam, sedatis, uti jamjàm monuimus, phænomenis inflammatoriis, recurrere possumus; in hujus enim corporis extractione tota residet sanandi spes.

Introductio catheteris nonnumquàm facilè peragitur, interdùm tamen summis, nequidem à dexterrimâ in arte manu superandis difficultatibus premitur. Quo in casu, nullâ patente urinæ per uretrum viâ, si lotii retentionis symptomata extra modum urgent, ad vesicæ paracentesim deveniatur necesse est, quâ institutâ, ægri aliquandò præstantissimo periculo eripiuntur.

Periodo inflammatoriâ transactâ, omni studio et operâ eniti decet, ut cystitidis acutæ in chronicam exitus præveniatur: hoc pacto, non nimis diætæ emollienti, laxanti inhærendum est; morbo itaque ad finem vergente, infusiones aromaticæ, potus amari, levia tonica optimè convenient, diæta minùs erit stricta; æger alimentis solidis, vinoque rubro aquâ diluto, moderatè utetur; modicis exercitationibus vires reficiet; in loco salubri manebit; vestimenta lanea immediatè cuti applicata induet; frictiones siccæ per totum corpus cum successu instituentur. Hæc tentamina perfecta nonnumquàm insequitur sanatio, interdùm tamen omnia quæcumque frustrà tentantur, et morbus in statum chronicum transit. Quo facto, cystitidis curandæ difficultas augetur; atque eò fit difficilior ejus curatio, quò status chronicus diutiùs jàm perstitit.

TANTUM.



POSITIONES MEDICÆ.

I.

Usus vesicatoriorum in cystitide nocet.

II.

Si quis sanguinem et pus minxerit, id renum aut vesicæ ulcerationem significat. Hipp. sec. IV, aph. 75.

III.

Renum et vesicæ mala difficilè in senioribus sanantur. Hipp. sect. VI, aph. 6.

IV.

Per catheterismum multò faciliùs quàm per cæteras rationes calculos vesicæ inesse cognoscitur.

V.

Nullam viam directam, quâ potus ex stomacho ad vesicam urinariam deferuntur, existere autumamus.

VI.

Incisio usque ad partes viventes in antracibus optimum sistit remedium.

VII.

Statìm post eductum fœtum, artificè placentam solvere pericnlosum.

IMPRIMATUR.

J. C. VAN ROTTERDAM, *H. T. D.*